AUTHOR:

ENGELMAN, RICHARD

TITLE:

BEITRAGE ZU EURIPIDES

PLACE:

BERLIN

DATE:

1882

Master Negative #

92-80597-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Engelmann, Richard, 1844-1909.
...Beiträge zu Euripides. I. Alkmene ... Berlin, Weidmannsche buchhandlung, 1882.
20 p. illus., 26 x 20 cm.

"Wissenschaftliche beilage zum programm des Friedrich-Gymnasiums, Ostern 1882.

Another copy.
Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 5/27 INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXIX USQUE AD D. XV. M. MARTIS A. MDCCCLXXX

HABENDARUM.

Friderici Wieseleri adnotationes criticae ad Euripidis Cyclopem additae sunt.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

GUIL. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
RICARDUS GUILELMUS DOVE D.
CUM SENATU.

Per proximum semestre hibernum quum Euripidis Cyclopem interpretabar, de novo sentiebam, quam multi hujus fabulae loci non satis essent expediti. Quare hac scribendi opportunitate oblata facere non possum, quin partem eorum tractem accuratius.

Vs. 14 sq.

in editione fabulae ab Augusto Nauckio curata, qua utimur, sic exhibentur scripti:

ἐν πρύμνῃ δ' ἄκρᾳ
αὐτὸς λαβὼν ηὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ,
παῖδές τ' ἐρετμοῖς ἥμενοι, γλαυκὴν ἅλα
ῥοθίοισι λευκαίνοντες, ἐζήτουν σ', ἄναξ.

Adstipulandum censeo G. Hermanno in versu 16 scribendum esse ex conjectura Seidleri *ἐπ' ἐρετμοῖς* statuenti. Opus est enim ut Silenus diserte et et plane significet, Satyros in transtris sedisse, postquam semet ipsum puppim occupasse narravit. Contra probandum non videtur, quod Hermannus in versu 15 secundum Scaligerum *λαβὼν* mutandum esse existimat in *λαχών*, quod vocabulum ne ad sententiam quidem satis aptum esse censeo. Etenim ineptum mihi videtur, fingi sorte evenisse Sileno ut gubernaculum regeret, quum ad hoc munus sustinendum propter locum, quem tenebat inter Satyros, aetatem, rerumque experientiam esset aptissimus. Itaque quum verba *ἀμφῆρες δόρυ* sine dubio de navi sint intellegenda aeque atque vocabulam *δορί*, quo paullo infra usus est hic poeta in versu 19, nequaquam illud mutandum in *σκάφει*, ut scribi jussit O. Jahnius, equidem existimo verbum *λαβὼν* significare „postquam occupavi vel cepi", cfr. vs. 680 sq.:

οὔτοι σιωπῇ τὴν πέτραν ἐπήλυγα
λαβόντες ἑστήκασι,

ita ut aut simul audiatur: *αὐτήν*, i. e. *τὴν πρύμναν ἄκραν*, aut — id quod praestare videtur — vocabulum *ἄκρᾳ* mutetur in *ἄκραν* vel in *ἄκρα*. Adparet autem, verbum *λαβὼν* haud sine vi usurpatum esse, quum moneamur, Silenum propter corpus crassum senioque confectum haud facile potuisse pervenire ad locum illum excelsum.

Vs. 84

in verbis chori

ἀτὰρ δὴ τίνα, πάτερ, σπουδὴν ἔχεις;

id quod penultimum locum tenet parum esse aptum, recte judicat Nauckius. Sine dubio corruptum est ex *σκοπήν*. Alias reperitur dictum *ποιεῖσθαι τὴν σκοπήν*, vel *τὰς σκοπάς*, cfr. Lucian. Hist. conscrib. XXIX et Diodor. Bibl. III, 26. Sed jam Homerus usus est locutionibus *ἀλαοσκοπιὴν* vel *σκοπιὴν ἔχειν* Il. X, 515, XIII, 10, Od. VIII, 285, 302, quae posterior invenitur etiam apud Herodotum V, 12 addito genetivo *τούτων*. Chorus illa verba dirigit ad Silenum dextrorsum spectantem. Emendationem nostram nihil dubii relinquere ostendit quod respondet Silenus vs. 85:

ὁρῶ πρὸς ἀκταῖς ναὸς Ἑλλάδος σκάφος cett.

Vs. 90 sq.

hic poeta Silenum commemorantem facit Ulixem ejusque socios his verbis:

τίνες ποτ' εἰσίν, οὐκ ἴσασι δεσπότην
Πολύφημον οἷός ἐστιν, ἄξενον στέγην
τήνδ' ἐμβεβῶτες καὶ Κυκλωπίαν γνάθον
τὴν ἀνδροβρῶτα δυστυχῶς ἀφιγμένοι.

Jam olim recte offenderunt in verbo *ἐμβεβῶτες*. At eo quod scribendum proposuerunt: *ἐσβεβῶτες*, nodum haud expediverunt. Vel sic enim Silenus ita loquitur ut eum Ulixem ejusque socios antrum Polyphemi potius ingressum quam prope adgressum dicere aliquis existimet. Mendi sedes, ut jam Musgravius sensit, quaerenda est in verbo *στέγην*, pro quo ille *γύην* scribi jussit, quod ferri omnino non potest, mihi vero hic poeta posuisse videtur: *τε γῆν*.

Vs. 129 sq.:

ΟΔ. αὐτὸς δὲ Κύκλωψ ποῦ 'στιν; ἢ δόμων ἔσω;
ΣΕΙ. φροῦδος πρὸς Αἴτνην, θῆρας ἰχνεύων κυσίν.

Haud intellego cur Nauckius pro *Αἴτνῃ*, quod est in libris, secundum Reiskii conjecturam ediderit: *Αἴτνην*. Immo illud melius quadrat ad versum antegressum, modo virgula incidatur post *φροῦδος*, non post *Αἴτνῃ*, ut Hermannus fecit. Sic enim *φροῦδος* spectat ad *δόμων ἔσω* et *πρὸς Αἴτνῃ* cett. ad *ποῦ 'στιν.*

Vs. 145 sq.

de vino, quod secum fert Ulixes, haec scripta inveniuntur:

ΟΔ. ὅδ' ἀσκὸς, ὃς κεύθει. νιν εἰσορᾷς, γέρον;
ΣΕΙ. οὗτος μὲν οὐδ' ἂν τὴν γνάθον πλήσειέ μου.
ΟΔ. ναὶ δὶς τόσον πῶμ' ὅσον ἂν ἐξ ἀσκοῦ ῥυῇ.

Num verum viderit Hartungius quum *εἰσορᾷς* scripsit pro *ὡς ὁρᾷς*, dubium est, quamquam haec librorum scriptura etiam ex nostra sententia ferri nequit. Quid, si poetam posuisse conjecerimus: *ὡς ἐρᾷς*? Sileno utrem vinarium gratissimum fuisse, notissima res est. — Postremum versum sic aliquis emendandum esse existimet, ut pro *ναί*, quod in libris reperitur traditum, scribatur: *ἦ*, et post *ῥυῇ* collocetur signum interrogationis atque simul audiatur: *τὴν γνάθον πλήσει σου*; At restat etiam altera emendandi ratio eaque talis, ex qua origo corruptelae in vocabulo *ναὶ* conspicuae probabilius explicari possit. Quid si poetam scripsisse contendam: *ἔνι*, h. e. adest?

Vs. 164

in verbis Sileni:

ὡς ἐκπιεῖν γ' ἂν κύλικα μαινοίμην μίαν, |

scribendum esse arbitror: *κύλικ' ἂν αἱροίμην*. Ex postremo vocabulo orta est lectio varia: *βουλοίμην*, interpretationis caussa adscripta.

Vs. 188 sq.:

ΣΕΙ. ἰδοὺ τάδ' ὑμῖν ποιμνίων βοσκήματα,
ἄναξ Ὀδυσσεῦ, μηκάδων ἀρνῶν τροφαί,
πηκτοῦ γάλακτός τ' οὐ σπάνια τυρεύματα.

Non opus est emendatio, quam vocant, Scaligeri, *ποιμνίων* scribentis pro *ποιμένων*, quod libri porrigunt; quin ne apta quidem est, quia sententiam continet ab ea quae inest in verbis *μηκάδων ἀρνῶν τροφαὶ* haud diversam. *Ποιμένων βοσκήματα* meo judicio significat: nutrimentum quali utuntur pastores.

Vs. 193 sq.:

οἴμοι · Κύκλωψ ὅδ' ἔρχεται · τί δράσομεν;
ΟΔ. ἀπολώλαμεν γάρ. ὦ γέρον · ποῖ χρὴ φυγεῖν;

Ambo versus in libris tribuuntur Ulixi. L. Dindorfii sententiam, priorem a Sileno esse pronunciatum censentis, alterum ab Ulixe, amplexus est Nauckius. Contra G. Hermannus chori priorem, alterum respondentis esse Ulixis opinabatur. At quod Hermannus contendit, priorem versum Ulixi propterea non convenire, „quod ille non ante visis Cyclopibus non poterat scire Polyphemum esse“, satis est mirum. Verbis supra in versu 118 positis Ulixes compererat, Cyclopes inhabitare terram; eis quae sunt in versu 130, Cyclopem venatum isse in Aetnam; quin in versu 174 Silenus adeo commemoraverat Cyclopis *τὸν ὀφθαλμὸν μέσον*. Plumbeus igitur fuisset Ulixes, nisi vel ex solo illo oculo medio in persona conspicuo perspexisset, monstrum accedens esse Cyclopem.

Vs. 231 sq.:

ΣΕΙ. ἔλεγον ἐγὼ τάδ' · οἳ δ' ἐφόρουν τὰ χρήματα
καὶ τόν γε τυρὸν οὐκ ἐῶντος ἤσθιον
τούς τ' ἄρνας ἐξεφοροῦντο.

Verba posita in vs. 232 et 233 vix sunt sana. *Χρήματα* parum apte dicit Silenus, quum non solum caseus verum etiam agni ad *χρήματα* pertineant. Neque *ἐφόρουν* ferri potest, quum, si genuinum est verbum *ἐξεφοροῦντο,* illud haud differat ab hocce. Porro quod secundum verba in libris tradita Silenus dicit, Ulixem et comites comedisse caseum, mirum est. Sane Silenus mendacia profert etiam in eis quae leguntur vs. 234 sq. et alias. At hoc loco ipsi respondendum erat ad quaestionem Cyclopis, mirati quid sibi vellent *τεύχη τυρῶν συμμιγῆ* foras elata ex antro (vs. 226). Accedit quod culpa Ulixis sociorumque nequaquam reddi gravior videri potest eo, quod Silenus mentitur, illos comedisse caseum (quibus verbis mendacium contineri Cyclops ipse oculo videre potest), quam eo, quod vasa casei plena foras erant portata. Probabile est autem in priore versu dictum fuisse, Ulixem et socios non curasse verba Sileni, vel simile quid. Itaque pro *χρήματα* scribendum videtur: *ῥήματα*. Porro verborum corruptorum *οἳ δ' ἐφόρουν* facillima emendatio ea est, ex qua mutantur in *οὐ δ' ἐφρόνουν*. Locutio *φρονεῖν τι* ita usurpata

ut significet *sequi, curare aliquid* reperitur etiam in Homer. Od. XIV, 82, Plutarch. Anton. X, Herod. I, 46. Verbo *οἶ* propter antegressum *ἐγὼ* haud esse opus videtur. Denique *ἤσθιον* corruptum censeo ex *ἐσθίειν*, quod verbum arctissime construendum est cum *ἐξεφοροῦντο* atque explicandum: *ad comedendum*.

Vs. 243 sq.:

in verbis Cyclopis hisce:

ὡς σφαγέντες αὐτίκα
πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν ἀπ' ἄνθρακος
θερμὴν ἔδοντος δαῖτ' ἄτερ κρεανόμων,

probanda est Heathii conjectura scribendum censentis: *θερμὴν δίδοντος δαῖτα τῷ κρεανόμῳ*, nosi quod fortasse praestat *ἔδοντος* mutare: in *γε δόντος*.

Vs. 320 sq.:

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
οὐδ' οἶδ' ὅ τι Ζεὺς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός.
οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν · ὡς δ' οὔ μοι μέλει
ἄκουσον · ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα,
ἢ μόσχον ὀπτὸν ἤ τι θήρειον δάκος
δαινύμενος, εὖ τέγγων τε γαστέρ' ὑπτίαν,
ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον
κρούω, Διὸς βρονταῖσιν εἰς ἔριν κτυπῶν.

Locum magno et multo opere temptatum sic repraesentare satis habait Nauckius ut in versu 326 pro librorum scriptura aperte corrupta: *ἐν στέγοντί*, exhiberet Reiskii conjecturam jam a G. Hermanno recte repudiatam: *εὖ τέγγων τε*, simul adnotans, pro vocabulo *πέπλον* a Musgravio commendari *πέδον*, ab Hartungio *πίθον*. Quod ad vs. 326 adtinet. facile apparet, nec Scaligeri sententiam, scribendum censentis: *εὖ στέγων τε*, ferendam esse. Ne multa: haud dubitandum est, quin scriptum fuerit: *εὖ στένον τι γαστέρ' ὑπτίαν*, h. e. *bene complens aliquod* ventrem supinum, quae verba addita sunt verbis *τι θήρειον δάκος*, cfr. Aeschyl. Eumen. vs. 549 Well.: *τις- αἰδόμενός τις ἔστω*. Porro clarum est, aut in versu 324 scribendum esse *ἔχων*, quod Hermanno placuit, aut in versu 325 vocabulum *ἤ*, quod priore positum est loco, mutandum, quam emendandi viam ingressus est Musgravius, scribi jubens: *οὗ*, pro quo ego faciliore mutatione ponendum censuerim vocabulum *ᾗ*, quod et ipsum significat: **ubi.** Contra conjecturas de vocabulo *πέπλον* prolatas ego ineptas esse judico. Apertum est enim, quamquam nemo id sensit, Cyclopem dicere, se tonitrua Jovis imitari atque irridere eo quod pedat. Conferatur modo quod Strepsiades apud Aristophanem in Nub. vs. 292 sq. dicit: *βούλομαι ἀντιπαοπαρδεῖν πρὸς τὰς βροντάς*. Largus lactis potus confert ad ventrem inflandum. *Πέπλον* Cyclops dicit *stragulum*, in quo cubat supinus. *Κρούειν* de flatu sive crepitu ventris eodem jure usurpari poterat quo Vergilius Georg. III, 382 dicit: *gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro*, Ovidius Amor. I, 6, 54, Boream compellari faciens: *flamine tunde fores*, Claudianus in Rufin. I, 276: *carina tunditur procellis*, atque Lucanus Pharsal. II, 23: *crebris feriunt*

ululatibus aures, et Claudianus Bell. Get. vs. 625: *ululatus pulsat aures.*

Vs. 336 sq.:

ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν cett.

Scribendum erat, *κἀμφαγεῖν;* quam emendationem, ut nunc video, praeripuit mihi Herwerdenus. Errat G. Hermannus, quum contendit, pro *γε* scribendum esse *τε*. Euripides voluerat quod Germani dicunt „das Hineintrinken und Hineinessen“, non quod dicunt „das Hineintrinken und das Hineinessen“.

Vs. 342 sq.

Cyclopis haec sunt verba:

ξένια δὲ λήψει τοιάδ' ὡς ἄμεμπτος ὦ,
πῦρ καὶ πατρῷον τόδε λέβητά θ', ὃς ζέσας
σὴν σάρκα διαφόρητον ἀμφέξει καλῶς.

Scriptura versus 343, quam Nauckius recepit, debetur Godofredo Hermanno; qui rectissime haec adnotavit: „res ipsa monstrat, dona hospitalia, quae promittit Cyclops, esse ignem et aquam, quique per ignem et aquam concoquat Ulixem; lebetem“. Miror Nauckium conjecturam Hermanni parum probabilem vocare. Quum verba *πατρῷον τόδε* pronunciat Cyclops digito monstrat *δινᾶεν ὕδωρ ποταμῶν ἐν πίστραις πέλας ἄντρων* (vs. 46 sq., cfr. etiam vs. 39). — Contra notandum erat, quod Hermannus librorum scripturam *δυςφόρητον* mutavit in *διαφόρητον* eumque secuti sunt novissimi editores ad unum omnes. Illud non sane significat carnem *difficilem concoctu*, quod quatenus ita habeat, scire non potest Cyclops. Indicatur potius vastum et inhabile corpus. Conferenda est locutio *σώματα δύσφοα*, qua usus est Plato in Tim. p. 74, E. Potuisse autem adscribi Ulixi in habilem corporis molem, haud negabit qui probabile duxerit, actorem scaenicum illius partes obtinentem ex more tragicorum veste indutum fuisse farta et cothurnos altos gestasse.

Vs. 382:

ΟΔ. ἐπεὶ πετραίαν τήνδ' ἐσήλθομεν [*χθόνα*] cett.

Plura temptaverunt homines docti ad emendandum vocabulum aperte corruptum *χθόνα*. At nihil tantam verisimilitudinis speciem habet quantam *γνάθον*, quod verbum, praesertim si literae supra scriptae erant, facillime corrumpi poterat in *χθόνα*. „Fauces“ fuisse Polyphemi speluncam apparet ex loco qui est vs. 707; *φάραγξ* appellatur vs. 668.

Vs. 386 sq.:

ἔπειτα φύλλων ἐλατίνων χαμαιπετῆ
ἔστρωσεν εὐνὴν πλησίον πυρὸς φλογί.
κρατῆρα δ' ἐξέπλησεν ὡς δεκάμφορον,
μόσχους ἀμέλξας, λευκὸν εἰσχέας γάλα.
σκύφος τε κισσοῦ παρέθετ' εἰς εὖρος τριῶν
πήχεων, βάθος δὲ τεσσάρων ἐφαίνετο.
καὶ χάλκεον λέβητ' ἐπέζεσεν πυρί,
ὀβελούς τ' ἄκρους μὲν ἐγκεκαυμένους πυρί,
ξεστοὺς δὲ δρεπάνῳ γ', ἀλλὰ παλιούρου κλάδῳ,
Αἰναῖά τε σφαγεῖα πελέκεων γνάθοις.

Locus admodum depravatus. In versu 387 quod libri porrigunt: ἔστησεν, quum sine dubio corruptum sit, Piersonus in ἐστρωσεν mutandum censuit, Reiskius in ἔνησεν, quem secutus est G. Hermannus. Mihi quidem neuter verum videtur esse adsecutus, vocabulum paullo rarius et significantius obliteratum esse censenti, quale est ἔστειψεν: stipando confecit. Indicatur igitur id, quod a Sophocle in Philoct. vs. 33 adpellatur στειπτὴ φυλλάς, ab Euripide ipso aliisque στιβάς. Interpres Graecus verba illa a Sophocle adhibita explicat vocabulo χαμαιστρωσία. — Porro versus 393—395 nondum emendatos esse affirmat Nauckius. At versum 394 probabiliter correctum esse a Scaligero, scribendum arbitrato: ξεστοὺς δὲ δρεπάνῳ τἄλλα, παλιούρου κλάδων, Hermanno adstipulor. Contra sine dubio etiam nunc haeret mendum in versu 395. Praeterea aperte labem traxit versus 392. Et in hoc quidem facili mutatione scribendum est: ἐπὶ ζέσιν πυρί, h. e. ad fervendum, coquendum igni. Neque enim satius videtur scribere: ἐπιζέσαι πυρί, quum praesertim verbi compositi ἐπιζέω usus, qui hoc in loco postulatur, alias non reperiatur, in quo ego quidem magis offendo quam in eo, quod substantivum ζέσιν a Platone aliisque usurpatum in tragicorum poetarum reliquiis haud invenitur. Etiam supra in vs. 343 verbo simplici ζέσας usus est hic poeta. Cum dictione ἡ ζέσις πυρὶ conferendi sunt loci Platonis, is qui est in script. de Legibus IV, p. 717 A: ἡ τοῖς βέλεσιν ἔφεσις, aliique, quos Heindorfius adtulit ad Platonis Cratyl. p. 131. Pendet accusativus λέβητα ex παρέθετο, quod est in versu 390, aeque atque accusativi ὀβελους et σφαγεῖα. Hoc verbum adhuc non recte explicatum est. Mihi quidem substantivi vice fungi videtur atque idem significare quod σφαγίς. Adjectivo σφαγεῖος Hermanno usus videtur Aeschylus in Agam. vs. 1082 (1063W.) ita, ut significaret trucidantem. Σφάγια ξίφεα dixit Manetho I, 316. Σφαγέα ensem vocaverunt Sophocles in Ajac. vs. 815 et Euripides in Androm. vs. 1134. Αἰτναῖα vero adpellantur σφαγεῖα, quae in Aetna, celeberrima fabrorum mythicorum officina, fabricata sunt. Haec si recte disputata sunt, etiam unum corrigendum restat mendum, dico illud, quod continetur verbo γνάθοις. Scribendum est: γνάθους. Verbis πελεκέων γνάθους adpositis ad verba Αἰτναῖα σφαγεῖα haec quid sibi velint adcuratius explicatur. — Mendosus est etiam locus, qui proxime sequitur Vs 396 sq.:

ὡς δ' ἦν ἕτοιμα πάντα τῷ θεοστυγεῖ
Ἅιδου μαγείρῳ, φῶτε συμμάρψας δύο
ἔσφαζ' ἑταίρων τῶν ἐμῶν ῥυθμῷ τινι
τὸν μὲν λέβητος εἰς κύτος χαλκήλατον,
τὸν δ' αὖ, τένοντος ἁρπάσας ἄκρου ποδός,
παίων πρὸς ὀξὺν στόνυχα πετραίου λίθου,
ἐγκέφαλον ἐξέρρανε, καὶ καθαρπάσας
λάβρῳ μαχαίρᾳ σάρκας ἐξώπτα πυρί,
τὰ δ' εἰς λέβητ' ἐφῆκεν ἕψεσθαι μέλη.

Neque enim — ut a versibus 398 et 399 ordiar — construenda sunt verba ἔσφαζε λέβητος εἰς κύτος χαλκήλατον nec vero probabile est, scriptum esse ab hoc poeta ῥυθμῷ τινι. Ad prius illud quod adtinet vel per se parum est credibile, sociorum Ulixis unum solum coctum fingi, alterum partim coctum partim

assatum, quum praesertim eadem fuisse traduntur corporis constitutione, nimirum οἳ σαρκὸς εἶχον εὐτρεφέστατον πάχος (vs. 380). Verba λέβητος εἰς κύτος χαλκήλατον construenda sunt cum παίων, aeque atque verba πρὸς ὀξὺν στόνυχα πετραίου λίθου. Ahenum amplitudine excellens fingi apparet ex vs. 343 sq. Itaque in versu 398 obliterata est copula. Mendi sedes sine dubio quaerenda est in verbo τινι, quod admodum friget. Facillima autem est mutatio: ῥυθμῷ θ' ἑνί. Cfr. Eurip. Heracl. vs. 131: ποίῳ τρόπῳ καὶ τίνι ῥυθμῷ φόνου; Electr. 772: γυναῖκες οὐχ ἕνα ῥυθμὸν κακῶν ἔχουσαι. Vocabulum εἷς per se solum significans id ipsum quod ὁ αὐτός, idem, usurpatum est ab hoc poeta in Phoeniss. vs. 156, a Theognide in vs. 300, a Plutarcho in Moral. p. 1089 A, quibus locis constructum invenitur cum dativo. Probata autem hac conjectura non amplius tolerabitur verbum ἔσφαζε. Accedit quod vel per se vix aptum videtur construere verba φῶτε δύο ἑταίρων τῶν ἐμῶν. Exspectaverit aliquis positum fuisse vocabulum aliquod cum solis verbis ἑταίρων τῶν ἐμῶν construendum. Conjicio igitur scriptum fuisse: ἐκσπᾷ 'ξ. Fingitur, opinor, Polyphemum ex globo sociorum Ulixis duos pinguissimos extraxisse eorumque unum una manu in ahenum, alterum altera in rupem inpegisse. — Denique etiam versum 404 corruptum esse existimo. Quis enim tulerit vocabulum ἐφῆκεν? Haud melius est ἀφῆκεν, quod commendatur in H. Stephani Thes. ling. Gr. Vol. III, p. 2570. Equidem haud dubito quin cum Nauckio scribendum sit ἔθηκεν, vel potius ἔθηκ', nam literis εν ad alterum quod in hoc versu inest mendum tollendum opus est. Adparet, haud esse construenda verba τὰ δὲ μέλη. Porro hic poeta sine dubio significare voluerat, quod Homerus in Odyss. IX, 291 de sociis Ulixis his tradiderat verbis: τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον. Censeo igitur genuinam poetae manum hanc esse: ἔθηκ' ἀν' ἕψεσθαι μέλη, h. e. reliqua vero in cortinam imposuit membratim ut coquerentur. Posse autem ἀνὰ μέλη id ipsum significare quod alias dicitur κατὰ μέλη (cfr. Pindar. Ol. I, 49, et Herod. I, 119), equidem persuasum habeo. Tmesi, quam vocant, a verbo ad quod pertinet, separata praepositio ἀνὰ reperitur etiam apud Aeschylum in Eumen. vs. 75 (et quidem in diverbio) secundum plurimorum hominum doctorum sententiam et in fragm. Lycurgi 122 ex edit. Nauckii.

Vs. 410

ne quis verba φάρυγος αἰθέρ' ἐξιεὶς βαρὺν temptet, ut Nauckius fecit, pro αἰθέρ' scribendum conjiciens ἀτμόν, conferat modo vs. 629:

σιγῶμεν ἐγκάψαντες αἰθέρα γνάθοις,

et quae adnotavit Henricus Guilelmus Roscher in libro bonae frugis pleno, quem inscripsit „Hermes der Windgott", p. 60 sq.

Vs. 447 sq.:

ΧΟ. ξυνῆκ', ἔρημον ξυλλαβὼν δρυμοῖσί νιν
σφάξαι μενοινᾷς ἢ πετρῶν ὦσαι κάτα.

Pro δρυμοῖσι, quae Tyrwhitti est conjectura a Musgravio et novissimis interpretibus probata, libri praebent: ῥυθμοῖσι. Arborum feracissimam fuisse Aetnam, quae a Theocrito Id. XI, 47 adpellatur πολυδένδρεος, inde ab Homero notum est, cfr. Odyss. XI, 183. At mihi quidem desiderari videtur vocabulum significans rationem, qua fieri possit, ut Ulixes potiatur Cyclope.

Res oppositae, quae indicantur vocabulo *ἤ*, continentur solo verbo *σφάξαι* et verbis *πετρῶν ὦσαι κάτα.* Quare si *ῥυθμοῖσι* significare posset concinno impetu, quemadmodum Florens sermone Latino interpretatus est, vel „mit einem Ruck, auf einen Hieb", ut Hoepfnerus censuit, satis aptum esset, nisi quod probandum non esset, quod Hoepfnerus hoc verbum construxit cum *σφάξαι.* At haec interpretationes ferri nequeunt. Itaque ego scribendum propono: *ῥύμῃ σύ.* Cfr. Thucyd. II, 76: *δοκὸς ῥύμῃ ἐμπίπιουσα,* II, 81: *χωρήσαντες ῥύμῃ,* ut alia taceam. Vocabulum *ῥύμῃ*, quo Aristophanes saepius utitur, in reliquiis tragicorum, quod ego sciam, nunc quidem non invenitur usurpatum nisi apud scriptorum Rhesi in vs. 64. Vel sic tamen ego illud probabilius esse censeo quam *ῥόθῳ* vel *ῥοθίῳ.*

Vs. 495 sq.

choro haec tribuuntur verba:

μάκαρ ὅστις εὐιάζει
βοτρύων φίλαισι πηγαῖς
ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθείς,
φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων,
ἐπὶ δεμνίοισί τ' ἄνθος
χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸν βό-
στρυχον.

Libri porrigunt: *ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν* et *μυρόχριστος λιπαρὸς βόστρυχον.* Emendatio hujus loci imprimis propterea haud cessit hominibus doctis, quod non senserunt, ineptum esse quod is, de quo sermo est, dicitur ad convivium exporrectus simul amatum hominem ulnis amplecti et in lecto puellam juxta se habere. Facile adparet, mendum inesse in verbo *τε,* quod est ante *ξανθόν*, et in verbo *ἑταίρας*. Scribendum est: — *φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων ἐπὶ δεμνίοις, τὸν ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἐθείρας μυρόχριστον λιπαρὸν* vel *μυρόχριστος λιπαρὸν βόστρυχον.* Cum dictione *χλιδ. ἐθείρας* conferendae sunt locutiones *τρυφερὸς πλόκαμος,* qua hic poeta usus est in Bacch. vs. 150, et imprimis verba Aeschyli servata apud Athenaeum XII, p. 528 C et Eustathium ad Homer. p. 1292: *χλιδῶν πλόκαμος ὥστε παρθένοις ἁβραῖς.* Ita restitutus versus 499 respondet etiam versui antithetico adhuc non recte emendato, qui est 515. Locus corruptissimus sic editus est a Nauckio:

λύχνα δ' ἀμμένει δάια σὸν
χρόα χὠς τέρεινα νύμφα
δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων.

At versum 514 et priorem partem versus 515 jam Hermannus egregie correxit scribens:

λύχνα δ' ἀμμένει διαὶ σὸν
χρόα σ' ὡς,

„lucernae te propter formam tuam exspectant". Reliqua quidem verba quum sana esse arbitrabatur Hermannus, gravissime errabat. Etenim quid sibi velit sententia „nam intus est in antro tenera sponsa", quam ex verbis *ὡς τέρεινα νύμφα* cett. extricavit, ut sentiamus, Oedipo conjectore opus est. Luce

clarius est, scriptum fuisse: *ὡς τέρειναν νύμφαν.* Comparatur titio cum face nuptiali, Polyphemus cum nova nupta. Adluditur autem ad ritus nuptiales, de quibus dixit C. Fr. Hermannus in libri, quem inscripsit „Lehrbuch der griech. Privatalterthümer", §. 31, adn. 22, p. 246 editionis a Starkio curatae. De metro versuum 499 et 515 dixit Hermannus Epit. doctr. metr. p. 174, §. 437, in eo quidem falsus, quod Sophocl. Electr. versum 1058 retulit in censum.

Vs. 507

quum Cyclops haec profert:

ὑπάγει μ' ὁ χόρτος εὔφρων
ἐπὶ κῶμον ἦρος ὥραις,

τὸν χόρτον intellegit dapem cum vino, proxime ante commemoratam, ut vel articulus *ὁ* temere spretus a Boissonadio demonstrat.

Vs. 519 sq.:

ΟΔ. *Κύκλωψ, ἄκουσον, ὡς ἐγὼ τοῦ Βακχίου*
τούτου τρίβων εἰμ', ὃν πιεῖν ἔδωκά σοι.
ΚΥ. *ὁ Βάκχιος δὲ τίς θεὸς νομίζεται;*
ΟΔ. *μέγιστος ἀνθρώποισιν εἰς τέρψιν βίου.*

Pro *τούτου*, quod est in vs. 520, G. Hermannus scripsit *θεοῦ*, censens hoc verbum postulari eis quae proferuntur in versu 521, in quo scriptum fuisse existimat: *δέ τις.* Cui jam Hartungius jure est adversatus. At versus 521 scriptura antiquitus tradita, quam Nauckius quoque intactam reliquit, nullo pacto est ferenda. Ne multa: verba distribuenda sunt in Cyclopem et in Ulixem, ita quidem ut prior pars continens interrogationem *ὁ Βάκχιος δὲ τίς;* tribuatur Cyclopi, altera vero, cum proximo illa versu conjungenda, Ulixi.

Vs. 555

haec verba profert Silenus de vino sermocinans:

ναὶ μὰ Δί', ἐπεί μού φησ' ἐρᾶν ὄντος καλοῦ.

Quae quis neget satis bene ferri posse? At melius etiam placuerit, opinor, *ὄντως καλοῦ.* Meminerit aliquis exclamationum, quarum frequens usus est in vasis pictis talis: *καλὸς ναί, ναιχί καλός, καλὸς ναιχί.* Euripides ipse scripsit *ΟΝΤΟΣ* etiam si *ὄντως* voluit intellegi.

Vs. 561 sq.:

ἀπομυκτέον δέ σοί γ', ὅπως λήψει πιεῖν.
ΚΥ. *ἰδού, καθαρὸν τὸ χεῖλος αἱ τρίχες τέ μου.*

Mirandum est quod nemo in verbo *ἀπομυκτέον* offendit. An credibile est, narium excrementa conspicua fuisse ita ut ex naso dependerent? Vix dubium videtur quin de ore abstergendo sermo fuerit. Quare scribendum erit: *ἀπομακτέον.* Cfr. Athen. I, p. 2, a, ubi citatur hic Cyrenaei poetae versus:

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον.

In sequentibus verbum *χεῖλος* de infima parte labri superioris et *τρίχες* de barba labri intellegendum est. Posterius vocabulum quod corruptum esse censuit Nauckius, nequaquam probandum est. Contra adstipulandum est ei,

mendum inesse in verbo *ἐμέ*, quod est in vs. 564, statuenti adhuc non recte sublatum. At sententia Nauckii pro *οὐκ ἐμέ* scriptum fuisse: *οὐκέτι*, conjicientis, meo quidem judicio, ferri nequit. Quum illa verba profert Silenus, non jam ebibit poculum, sed parat bibere; id quod sequitur ex verbo *δράσεις* in vs. 565 posito. Bibit autem citissime, ut apparet ex verbis Sileni proxime sequentibus. Mihi in vs. 564 pro *ἐμέ* scriptum fuisse videtur: *ἐῶ*. Prior hujus versus pars spectat ad gestum bibendi, de quo Silenus dixerat primis verbis in vs. 563 positis; verba *χὤσπερ οὐκ ἐῶ*, sc. *πίνειν*, ad postremum illius versus vocabulum *ἔκπιε*, quo fere significatur id, quod Graeci dicunt *ἀμυστίζειν*, *ἀμυστὶ πιεῖν*, quae locutio secundum Suidam adhibetur *ἐπὶ τῶν ἀπνευστὶ καὶ ἄνευ τοῦ ἀναπαύεσθαι πινόντων.*

Vs. 579 sq.

Cyclops secundum libros haec facit verba:

> *τοῦ Διός τε τὸν θρόνον*
> *λεύσσω τὸ πᾶν τε δαιμόνων ἁγνὸν σέβας.*

In versu 579 quum articulus verbo *Διός* additus haud placeat, Heimsoethius *τοῦ* mutavit in *καί*. Mihi videtur scriptum fuisse:

> *τὸν Διὸς δέ τοι θρόνον.*

Vs. 586

Nauckius secundum sententiam G. Hermanni sic edidit:

> *ναί μὰ Δί', ὃν ἁρπάζω γ' ἐγὼ 'κ τῆς Δαρδάνου.*

Quod libri praebent, *τοῦ Δαρδάνου,* sane non potest accipi de aedibus Dardani, etiam propterea, quod Ganymedes non ferebatur raptus ex domo patria, sed ex loco sub dio posito, imprimis ex monte vel colle, de quo etiam hic cogitandum esse apparet inde, quod Cyclops et Silenus versantur in loco edito. Hermannus provocat ad Strabon. XIII, 11, p. 587, ubi traditur, a nonnullis Ganymedem raptum perhiberi *περὶ Δαρδάνιον ἄκραν*, *πλησίον Δαρδάνου.* At enim ex hoc loco haud sequitur, promunturium adpellatum esse *τὴν Δάρδανον*, neque vero apud Euripidem verba *τῆς Δαρδάνου* ad urbem Dardanum referri possunt ex caussa ea, quam paullo supra significavimus. Atqui promunturium, quod a Strabone verbo substantivo, ut mihi videtur, adpellatur *Δαρδάνιον*, apud Diodorum Siculum XIII, 45 nominatur *τὸ Δαρδάνιον* vel, ut I. Bekkerus edidit, *Δαρδανεῖον.* Quid igitur prohibet, quominus statuatur, idem ab Euripide vocatum fuisse *τὸ Δάρδανον*, quum vocabulum *Δάρδανος* etiam adjectivum sit aeque atque *Δαρδάνιος* et *Δαρδάνειος*?

Vs. 591 sq.

haec profert Ulixes:

> *ἔνδον μὲν ἀνήρ · τῷ δ' ὕπνῳ παρειμένος*
> *τάχ' ἐξ ἀναιδοῦς φάρυγος ὠθήσει κρέα,*
> *δαλὸς δ' ἔσωθεν αὐλίων ὠθεῖ καπνόν.*
> *παρηυτρέπισται δ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν πυροῦν*
> *Κύκλωπος ὄψιν.*

Corruptum esse articulum *τῷ* verbo *ὕπνῳ* additum quum sentiret G. Hermannus scripsit: *ὦσθ' ὕ.*, pro quo Hartungius maluit: *ἔνθ' ὕ.* Neutrum probabile. Euripides, nisi omnia me fallunt, posuerat: *ὑπὸ δ' ὕπνου.* In Baccharum vs. 635 usus est locutione *κόπου ὕπο παρεῖσθαι.* *Ὑπὸ τοῦ ὕπνου παρεῖσθαι* dixit Alexander Polyhistor apud Eusebium in Praepar. evang. IX, p. 434 D. — Mirum est, neminem offendisse in verbis *ὠθεῖ καπνόν,* quorum prius cum propter verbum *ὠθήσει* proxime ante usurpatum displicet tum ad sententiam parum est aptum. Vix dubitandum est quin scriptum fuerit: *ὄζει καπνοῦ.* Locutione *ὄζειν καπνοῦ* usus est etiam Cratinus apud Athenaeum XIV, p. 661, E. — Praeterea singularem verbi *παρευτρέπισται* — sic enim scriptum invenitur in libris — usum, ex quo secundum Scaligerum G. Hermannus opinatur significari „apparando praetermissum esse nihil, nisi ut exurant oculum", ego ut admittam a me non possum impetrare. Mendosum esse locum recte statuerunt Kirchhoffius et Nauckius, qui corrigendum putarunt, ille: *πάντ' εὐτρέπισται κοὐδὲν,* hic *πᾶν εὐτρεπές · δεῖ δ' οὐδέν.* Equidem scribendum censeo: *παρευτρεπιστέ' οὐδὲν ἄλλο*, h. e. apparandum est nihil cett. Mutandi ratio eo explicari potest, quod, quum in libro archetypo plene exscriptum esset: *ΠΑΡΕΥΤΡΕΠΙΣΤΕΑ*, ut litera penultima in *ΑΙ*, ita ultima in *Δ'* corrupta est. Videtur autem asyndeton, quod Grammatici vocant, aptissimum esse ad hunc locum.

Vs. 646 sq.

in verbis chori hisce:

> *ἀλλ' οἶδ' ἐπῳδὴν Ὀρφέως ἀγαθὴν πάνυ,*
> *ὡς αὐτόματον τὸν δαλὸν εἰς τὸ κρανίον*
> *στείχονθ' ὑφάπτειν τὸν μονῶπα παῖδα γῆς.*

parum credibile est, Polyphemum vocatum esse filium terrae, quum plus semel apud hunc poetam Neptuni filius adpelletur. Quare vix a me possum impetrare ut verba *παῖδα γῆς* genuina esse existimem. Conjicio autem scriptum fuisse: *πανθαγῆ*, h. e. omnino detestandum. Cfr. Philonidem apud Pollucem IX, 9, Manethon. IV, 120, Aelianum apud Suidam s. v. *βδελυρός.*

Vs. 656 sq.:

secundum libros scriptum est:

> *ἰὼ ἰώ,*
> *γενναιόταt' ὠθεῖτε, σπεύδετε.*
> *ἐκκαίετε τὴν ὀφρὺν*
> *θηρὸς τοῦ ξενοδαίτα.*

Miror adhuc intactum esse relictum verbum *σπεύδετε* admodum frigidum, pro quo positum fuisse *σποδοῦτε*, quovis pignore contenderim. Verbo *σποδοῦν*, in cinerem vertere, amburere, usus est etiam Lycophron in Alexandr. vs. 178. Cfr. Orest. vs. 1302: *φονεύετε, καίνετε, ὄλλυτε.* — Praeterea vellem homines docti exempla verbi *ὀφρὺς* de oculo usurpati — nam hunc intellegendum esse, certum est, cfr. imprimis vs. 633 — exemplis idoneis allatis probassent. Quod donec erit factum, equidem corrigendum duco: *ὄψιν.* Cfr. vs. 458 sq.: *ἐς μέσην βαλὼν Κύκλωπος ὄψιν,* vs. 462: *κυκλώσω δαλὸν ἐν φαεσφόρῳ Κύκλωπος ὄψει*, vs. 486: *λαμπρὰν ὄψιν διακναίσει,* vs. 594 sq.: *πυροῦν Κύκλωπος ὄψιν,* vs. 627 sq.: *ἔστ' ἂν ὄμματος ὄψις ἐξαμιλληθῇ πυρί,* vs. 697: *τυφλὴν ὄψιν.*

Vs. 664 sq.:

ΧΟ. καλός γ' ὁ παιάν · μέλπε μοι τόνδ' ὦ Κύκλωψ.
ΚΥ. ὤμοι μάλ', ὡς ὑβρίσμεθ', ὡς ὀλώλαμεν.

Qui ad sententiarum nexum probe adtenderit, facile intelleget, secundo in versu pro *τόνδ' ὦ Κ.* scriptum fuisse: *τόνδ' αὖ, Κ.* Vocabulum *μάλα* de actione repetita usurpari notissimum est, cfr. imprimis Aeschyl. Pers. vs. 1054, Choeph. vs. 870, Aristoph. Pac. vs. 460.

Vs. 666 sq.

Pergit Cyclops:

ἀλλ' οὔτι μὴ φύγητε τῆσδ' ἔξω πέτρας
χαίροντες, οὐδὲν ὄντες · ἐν πύλαισι γὰρ
σταθεὶς φάραγγος τῆσδ' ἐναρμόσω χέρας.

Rectissime Nauckius verba *οὐδὲν ὄντες*, nihil potentes, perditi, corrupta esse adnotat. Scribendum propono: *ἔνδον ὄντες*, h. e. dum intus sitis. — Praeterea Nauckius bene intellexit, ineptum esse vocabulum *τάσδ'*, quod libri praebent in versu postremo. At *τῆσδ'*, quod ejus in locum substituit, minus aptum censeo quam *ταῖσδ'*. Animadvertenudum est, quod antrum Cyclopis duos habere fingitur exitus et posteriorem quidem clausum parte rupis post illud sita.

Vs. 672 sq.:

ΚΥ. Οὖτίς μ' ἀπώλεσ'. ΧΟ. οὐκ ἄρ' οὐδείς σ' ἠδίκει;
ΚΥ. Οὖτίς με τυφλοῖ βλέφαρον. ΧΟ. οὐκ ἄρ' εἶ τυφλός.

Narrantes praesenti tempore uti pro aoristo, res notissima est. At paene mirum videtur, quod libri in verbis, quae in versu 673 a Cyclope proferuntur, haud praebent: *μ' ἐτύφλου*, quum praesertim chorus proxime ante usus sit imperfecto *ἠδίκει*. — In versu 576 scribendum videtur: *ὁ δ' Οὖτις — ποῦ 'στιν*; —. Cyclops dicturus erat: Utis hic. At quum Ulixem digito monstrare non possit, interjicit verba *ποῦ 'στιν*, statim additurus verba: *ὁ ξένος* cett. Sed eum interfatur chorus illudens.

Vs. 704 sq.

Cyclops Ulixem abeuntem his verbis prosequitur:

οὐ δῆτ', ἐπεί σε τῆσδ' ἀπορρήξας πέτρας
αὐτοῖσι συνναύταισι συντρίψω βαλών.
ἄνω δ' ἐπ' ὄχθον εἶμι, καίπερ ὢν τυφλός,
δι' ἀμφιτρῆτος τῆσδε προσβαίνων ποδί.

Versus 704 et 707 mendosi sunt. Neque enim ferri potest aut *τῆσδ'* in eo, qui primus est, aut *ποδὶ* in eo, qui agmen claudit. Et in primo quidem versu Kirchhoffius scribendum proposuit: *τήνδ' ἀπορρήξας πέτραν*, Nauckius contra: *τῆσδ' ἀπορρήξας πέτρας*. Hunc ego propius afuisse ab eo quod verum est existimo. Etenim aut omnia me fallunt aut scriptum est ab hoc poeta: *τέρθρ' ἀπορρήξας πέτρας*. Verbum *τέρθρον* porrigunt aliquot libri in Hymni Homerici, qui est in Mercurium, versu 322:

αἶψα δὲ τέρθρον ἵκοντο θυώδεος Οὐλύμποιο.

Hesychius tradit: *τέρθρον, ὁ λεγόμενος ἀρτεμών, ἔνιοι δὲ τὸ ἄκρον τοῦ κέρως*

καὶ στέγη οἰκίας· τινὲς δὲ τὸ ἔσχατον καὶ ὑψηλόν. Praeterea imprimis cfr. Erotian. Gloss. Hippocr. p. 126 Kl.: *τέρθρον γὰρ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὸ ἔσχατον καὶ ἐπὶ τέλει, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Εὐρυσθεῖ ποιεῖ τὸν Ἡρακλέα λέγοντα οὕτως*

πέμψεις δ' ἐς Ἅιδου ζῶντα κοὐ τεθνηκότα
καί μοι τὸ τέρθρον δῆλον εἰσπορεύομαι.

Vix credibile est, Cyclopem significare aliquam rupis partem ad faciem antri in scaena repraesentati pertinentem. Cogitat potius de supremo colle in vs. 706 commemorato, ita ut verba *ἄνω δ' ἐπ' ὄχθον εἶμι* nostram correctionem apprime tueantur. — Ultimus autem versus sic emendandus videtur ut pro *ποδί* scribatur: *πόδα*, h. e. radices collis. Ad has ipsas ducebat via *δι' ἀμφιτρῆτος*, per fauces, quas efficiebat antrum utrimque apertum.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

LUDOVICUS SCHOEBERLEIN, Dr., publice *seminarii dogmatici studia* die Jovis h. VI—VIII et *Exercitationes liturgicas* seminarii practico-theologici die Merc. h. VI—VII et die Sat. h. IX—XI moderabitur; privatim *Dogmatices partem alteram* scholis senis h. XII—I et *Symbolicen christianam comparativam* quater per hebd. h. V—VI tradet.

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., publice *exercitationes Seminarii Regii homiletici* die Sat. h. X—XII et *catechetici* die Merc. h. V—VI, *exegetici*, in quo selectos Novi Test. locos explicandos proponet, die Mart. h. VI—VIII moderari perget. Privatim *tria priora Evangelia* inter se comparata interpretabitur quinis diebus h. IX—X, *Theologiam practicam* quaternis quinisve dd. h. III—IV tradet.

JULIUS WAGENMANN, Dr., publice *Seminarii theologici exercitationes historicas* moderabitur die Veneris h. VI; privatim *Historiae Ecclesiasticae universalis partem primam* quinis scholis h. VIII; *Historiam theologiae Protestantium* tradet quaternis scholis h. IV.

ALBERTUS RITSCHL, Dr., privatim *Pauli epistolam ad Romanos* quater h. IX interpretabitur, *Ethicen theologicam* quinquies h. XI tradet.

HERMANN. FERDIN. REUTER, Dr., privatim *Historiam Ecclesiasticam medii aevi* quinquies h. VIII semel die Mercurii h. IV, *Historiam ecclesiasticam aevi recentissimi* quater h. IX enarrabit.

HERMANNUS SCHULTZ, Dr., publice *Seminarii theologici exercitationes, quae ad Vetus Testamentum spectant*, die Lunae, h. VI—VIII instituet, item *Seminarii regii homiletici et catechetici exercitationes* sueto more moderabitur, *privatim Librum prophetae Jesajae*, quinquies hora X interpretabitur, *Religionis christianae cum ceteris comparatae indolem et veritatem exponet*, quinquies hora XII.

b. *Professorum extraordinariorum.*

GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr., *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur quinis per hebd. lectionibus h. IX—X.

BERNHARDUS DUHM, Lic., *Librum Iesaiae* privatim interpretabitur quinquis h. X; *Grammaticam linguae Hebraicae* privatim tradet diebus Lunae et Martis h. IV; *Veteris Testamenti de rebus post mortem futuris* doctrinam tradet publice diebus Jovis et Veneris h. IV.

c. *Privatim docentis.*

H. H. WENDT, Lic., privatim *introductionem in Novum Testamentum* quater hora XII, idem gratis *historiam aetatis apostolicae* bis hora XII tradet.

II. SCHOLAE ORDINIS JURISCONSULTORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

H. C. BRIEGLEB, Dr., adversa valetudine impeditus lectiones non habebit.

HENR. THÖL, Dr., *Jus mercaturae cum jure cambiali et maritimo* quinquies p. h. hora IX—X docebit.

RUDOLPHUS DE JHERING, Dr., docebit *doctrinam Pandectarum et quidem jus, quod adtinet ad res*, dd. Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XI—XII; *jus, quod adtinet ad obligationes*, quinquies h. XII—I, et d. Mercurii h. XI—XII.

